BIBLIOTECA DUELLO GIORGIO ENRICO LEVI
D
VIII

JESU SECUNDANTE

DE DUELLIS

SUB PRÆSIDIO

PRÆCELLENTIS & PRÆCLARISSIMI

DN. JO. FRIDERICI SCHARFI,

LL. AA. M. UT ET AMPLISS. FACULT. PHILOS. ADJUNCTI DIGNISSIMI

FAUTORIS, STUDIORUMQUE SUORUM PROMOTORIS ÆTERNUM COLENDI,

IN INCLUTA ALBIMONTANA

AD D. SEPTEMB. H. L. Q. S.


DISPUTABIT PUBLICE

M. JOANNES Grünwald/

Wolaviâ-Sileſ.

LITERIS HAKIANIS clɔ Iɔc LXX.

Digitized by Google



Digitized by Google

JESUS
PRINCIPIUM NOBIS ET TERMINUS ESTO!

DUella Satanæ, Leoni illi rugienti, qvi obambulat, qværens qvem devoret, ſuam debere originem, certo certius eſt. Ipſius enim inſtinctu qvibuscunqve ſeculis homines, tum alios ad Duellum provocarunt, tum provocati comparuerunt, illudqve ſuſceperunt. Qvis autem inter eos primus fuerit Duellator, eqvidem non conſtat. Sacram Scripturam ſi conſulamus, videtur ea primum nobis proponere Goliathum, qvi, propriis armis ac viribus fiſus, in Terebinthi valle, veluti in aperto Martis campo, Iſraëlitarum phalangibus exprobrans, fortisſimum qvemqve illorum ad ſingulare certamen provocabat, clamando: *Qvid egresſi eſtis ad inſtruendam aciem? nonnè ego Philiſtæus ſum, & vos ſervi Saulis? Eligite ex vobis Virum, & deſcendat ad me. Si qviverit pugnare mecum, & percuſſerit me, tum erimus vobis ſervi: ſi autem ego prævaluero illi, & percuſſero eum, eritis nobis ſervi, & ſervietis nobis.* Cùm igitur in hac prima pugna, à filio hoc Diaboli Iſraëlitis indicta, umbratilis qvædam Duelli ratio deprehendatur, qvidam ſuſpicantur, Goliatho Giganti perniciosam ac deteſtabilem μονομαχίας originem eſſe adſcribendam: qvi poſtmodùm proprio ſuo gladio periit, ac, Deo annuente, factum eſt, ut malum inventum in autoris perniciem fuerit verſum, juxta illud Davidis: *Convertetur perverſitas ejus in caput ejus, & ſuper verticem ejus, iniqvitas ejus deſcendet.* Qvicqvid autem ſit, vetuſtiſſimum hunc duellandi morem ab Ethnicis ad nos Chriſtianos dimanâſſe, & apud omnes ferè Nationes, easqve potisſimùm belligeras, obtinuiſſe neminem latet. Teſtantur hoc *Græcia* & *Troja*, qvarum non Bella tantùm, ſed & Duella, toties à Latinis Græcisqve Scriptoribus ligatâ partim, partim ſolutâ oratione fuerunt decantata. Idem confirmant *Polonia, Moſcovia, Bohemia, Hiſpania & Gallia*, qvæ ſingulæ, non

Digitized by Google

non tantùm Proceres ſuos, ſed ſuos etiam Reges, ad Duellum provocatos, & nonnunqvam proſtratos, gemebundæ ſpectaverunt. Exempla qvàm plurima vide *apud Camerarium in Meditat. hiſtor. part. 2. c. 19. 20. 21. Thuanum lib. 3. hiſt. part. 1. pag. 154. & alios.* De Gallia imprimis ſcribit Jo. Barclajus, elegantiſſimus Autor: *hac atrox & peſtilens lues tantum Gallici cruoris exhauſit, ut vix plura gladiatorum paria olim Romanorum arena conſpexerit. Quoties tota ſtirpes exciſa? quoties emeritorum patrum ſenium, aut ignaram miſera prolis pueritiam hac furia orbavit?* Et François de Rosſet *és hiſtoires tragiq. de noſtre temps p. 153:* Les duels ne ſont que trop ordinaires en Françe, encore que nos bons Roys, & particulierement Henry le grand d' heureuſe memoire, & la ſage Reyne Regente ſon Eſpouſe ayent fait publier des edicts rigoureux, pour empeſcher ces funeſtes journées, ou l' on perd miſerablement le corps & l' ame. i. e. *Singularium certaminum uber in Gallia proventus eſt, qvanqvam Regum noſtrum, Henrici IV. cumprimis ejusq; conjugis Regina pietas vulgavit rigida edicta compeſcendo huic furori, qvi unà cum corpore animam pracipitat in infernum.* In Italiam ſingularis certaminis conſvetudinem introduxerunt Longobardi, apud qvos erat mos, ambigua de poſſeſſionibus jura, objecta ab aliis crimina graviora, qvæ vel vitæ vel famæ detrimentum afferre potuiſſent, Duello decidendi, idqve tres potiſſimùm ob cauſas: (1.) *Ob legum defectum, qvibus ancipites ſolverentur caſus. Cum enim nec divinis, nec humanis acqvieſcere vellent legibus, tritum illud proponebant:* Si non ſufficiunt jura, veniamus ad arma. (2) *Qvoniã à Majoribus ſuis in Scandia inſula hunc Duellandi morem, veluti familiariſſimam æqvitatis declarandæ rationẽ, acceperunt.* (3) *Ne, propter privatas paucorum inimicitias, inter conſangvineos & affines, ipſosqve etiam populos, cruenta inirentur prælia, remedii loco* μονομαχίαν *inter capita contentionis permiſerũt, eâ tamen lege, ut ſi qvis, vel ætate, vel morbo, vel ſexu, impediretur in arenam deſcendere, alium ſuo loco conducere poſſet, eoqve vel vincente, vel victo,*

patro-

Digitized by Google

patronus, cujus vice pugnaverat, abſolutus vel damnatus intelligeretur, ac ſi in judicio ejus cauſa merita, vel demerita, ponderata fuiſſent. Ipſa Germania olim veritatem civilium aut criminalium cauſarum, deficientibus alioqvin teſtibus, probare ac teſtari Duello conſvevit. Qvin & uſitatum fuit, ut, ſi in Comitiis duo Imperatores renunciati eſſent, Duellum inter ſe committerent, & penes victorem imperium maneret. In Dania Frotho III. Danorum Rex, qvamlibet controverſiam ferro decerni ſanxit, ſpecioſius viribus, qvàm verbis, confligendum exiſtimans. Qvòd ſi alter dimicantium, relato pede, circumſcripti orbis gyrum exceſſiſſet, perinde ac victus, cauſæ detrimentum accepiſſet. Memorabile qvoqve eſt, qvod de Moſchis refert *Olaus Magnus lib. 10. c. 20.* videlicet etiamſi Judices, vel ipſemet Magnus Dux, ſententiam tulerit, ad ſingulare nihilominùs certamen provocationem dari, eosqve cogi, vel cum adverſario congredi, vel, mercede conductos milites, inter ſe committere: qviqve Duello vicerit, ille etiam causâ ſuperior exiſtat. Sed hæc Prologii vicem. Accingamur nunc operi & prodeat

I. N. D. N. J. C.

QVÆSTIO I.

An qvis bonâ conſcientiâ Duello provocare alterum, provocatus comparere & cum provocante congredi poſſit?

Olim anteqvam Duellum inchoabant, variis utebantur Ceremoniis: Præcedente enim diffidatione certamen Adverſario fuit indictum, adeò, ut proditoris notam incurrerit, qvi, ſine hac denunciatione, in arenam deſcendit. Deinde electi erant Patrini, qvi arma, an æqvalia, qvibus μονομάχοι uſi fuerunt, metiri ſolebant. Porrò Principis, vel Superioris auctoritate Duellum fuit ſuſceptum. Unde nec miles inconſulto Duce, nec filius familias absqve conſenſu Patris, duellare potuit. Poſtremò jurare debuerunt, ſe juſtam duellandi cauſam habere, idqve ſeqventi formulâ: *Juro, me habere, ut qvi verè arbitror, bonam, ſanctam, juſtamq; qverelam. Et pœnas damnationis deligo in animam,*

 vitam

Digitized by Google

vitam & honorem meum, ſi ſciens fallo, & ni arbitror, me juſtam cauſam fovere, expugnandi talem impium, proditorem, Adverſarium, quē in conſpectu habeo, video, & manu teneo. Hæc enim dicens, Adverſarii manum dexteram tangebat. Vide ſi lubet *Tholoſanum in Syntag. Jur. univerſ. lib. 48. c. 16.* ubi plenariè pertractat Ceremonias atqve Ritus in ejusmodi congresſibus obſervari ſolitos. Definitur autem **Duellum, qvod ſit duorum pugna, inſtituta ad cædem, vel vulnera, ex condicto, certo pugnantium numero, tempore & loco pugnæ deſignato.** Aliàs idem eſſe volunt ac Bellum, qvia in bello inter duos Exercitus fit pugna vel concertatio. Hîc verò de dimicatione duarum perſonarum agimus, qvæ vulgò Duellum, commodiùs *μονομαχία* diceretur, in qvâ ſemper unus eſt provocans, alter provocatus. Verùm an talis pugna laudanda ſit, jam qværitur. Nos reſpondemus per negationem & dicimus, peccare iſtos homines (1) contra Deum, idqve variis modis: 1. *Petulanter ejus mandata pravaricando.* Is enim vult, ut inimicos noſtros diligamus, iisqve benefaciamus. Et hoc ipſo Chriſtus filios Dei ab Ethnicis diſtinxit, qvòd hi amicos tantùm, illi etiam inimicos ſuos diligant, Matth. 5. Luc. 6. Chriſti prætereà mandatum eſt, ne iraſcamur proximo, & hujusmodi iram habet pro homicidio, Matth. 5. 21. Qvanto magis ergò homicidæ ſunt, qvi, ex animo irato, proximi corpus vulnerarit, aut etiam datâ operâ mortem ei intentant. 2. *Vindictam privatam, qvæ ſolius Dei eſt, ſibi arrogando.* Mea eſt, inqvit Deus Deut. 32, 35. ultio & retributio. Unde Paulus Rom. 12, 19. ſuos à vindicta privata dehortatur, ajens: Non vosmet ipſos ulciſcentes dilecti, ſed date locum iræ; Scriptum eſt enim, mihi eſt ultio. Ego rependam, dicit Dominus. Hanc autem vindictā exercet per Magiſtratum, coram quo cauſa peragenda eſſet. 3. *Utilia Dei organa deſtruendo.* Quamplurimi enim in hiſce Duellis ſuccumbentes, Patriæ potuiſſent maximo adjumento eſſe, de quibus tamen ſpes omnis, uno quaſi momento, præciditur. 4. *Imaginem Dei delendo.* Nam qui alterum in Duello vitâ privat, delet imaginem Dei, ad quam homo eſt conditus. Hinc adeò petulantia homicidia Deus deteſtatus, ut leges quoq; certas ſta-

tas ſtatuerit, quibus caſuali, vel etiam incognito homicidio voluit cavere, uti videre eſt *Exod.21, 13. Deut.21, 1. Num.35, 22. C. leg. 9.* (2) Peccant contra Magiſtratum, involando gladii poteſtatem, ſoli Magiſtratui à Deo conceſſam, *Rom.13*, 4. Rempublicam ſangvine & cædibus fœdando, ejusque adeò exitium attrahendo *Eſ. 26, 21. Mich.7, 2.* (3) Peccant contra Proximum, vitam ejus petendo, vel etiam deſtruendo, damno irreparabili; & non rarò ſalutem animæ adimendo, ejusq; æternum exitium promovendo. Ut taceam, quantum probrum, damnum & luctum inferant familiæ alienæ. (4) Peccant contra ſeipſos, & quidem primùm in corpus ac vitam ſuam, cujus adeò ſunt prodigi, ut eam ancipiti eventui exponant. Nihil certè inde lucri habent: Si vincuntur; tunc vel membris corporis mutilantur, vel etiam animas, irâ odioque plenas, ex impiis corporibus effundunt, adeoque impœnitentes & in peccato moriuntur, toti irâ ad ſumendam vindictam incenſi. ô miſeram mortem! Si v. victores è duello redeunt, homicidæ fiunt, conſcientias ſuas vulnerant, & pœnam Magiſtratus incurrunt: quam ſi maximè effugiunt, Deum tamen ultorem effugere non poſſunt. Deinde peccant in animas ſuas, dum omni ſe gratiâ Dei privant, aliorum ſangvinem ſitiendo, vel etiam ſuum irati profundendo. Accedit quod Jure Canonico in totum quoque Duella diſtrictè ſint interdicta, per *c.1.2. & ult. Extr. de pur. vulg.* ubi plane Duella inter Chriſtianos prohibentur propter duas rationes: prima eſt, quia per ea ſæpe innocentes & abſolvendi condemnantur. Vincit enim in Duellis plerumque non juſtior, ſed robuſtior & exercitatior. Secunda eſt, quia cum hujusmodi probatio & dijudicatio cauſæ per duella ſit dubia & fallax, per ea Deus tentari cenſetur, quia committitur ſalus publica vel privata fortuito eventui pugnæ, *c. monomachiam, 2. q. 4. & ibi gloſſ.*

QV. II.

Utrum ad defenſionem honoris & depulſionem ignominiæ Duellum ſit licitum?

Morem hunc Francis cumprimis ſolitum eſſe, teſtantur Viri non temnendæ auctoritatis: *Pasquier T. 1. liv. 3. de lettres p. 110.*

Nobleſſe

Nobleſſe de France ſur une pointelle d'honneur [illegible]t de perdre la vie. Frantzöſiſcher Adel macht ihm kein Gewiſſen umb ein Nadelſpitzlein von Ehren das Leben zu verlieren. *Pierre du Moulin de l'amour divin, p. 200.* A ceux, qui font profeſſion de porter l'eſpee, & d'entendre le poinct d'honneur, ſi on dit la moindre parole de travers, c'eſt pour ſe couper la gorge; ainſi ils confeſſent que leur vie ne vaut gueres, puisque ils la hazardent pour ſi peu, & la mettent à tous jours. h.e. *Equeſtris ordinis viris, cæterisq́; quibus datum eſt, ſcrupulos honorum accuratius examinare, ſolenne eſt rucre in alterius jugulum mutuâ laniená. Ita fatentur, parvi æſtimari vitam ſuam, quam ob minutiſſimas minutias præſentiſſimis periculis exponunt.* Et hodiernis in Academiis ſi ulla obtineat Duelli ſpecies, certè hæc eſt. Nam qvùm quis ab alio, levi aliquâ injuriâ fuit affectus, ei ſtatim, aut oretenùs, aut per libellum provocatorium, Duellum indicit. Alter, ne pro homine timido habeatur, & ab omnibus contemnatur, Duellum acceptat. An ergo hoc ſit licitum, quæritur. De provocante neceſſe non eſt, ut multa dicamus, cum ex præcedentis quæſtionis deciſione ſatis ſuperq́; pateat, quia, animo ſe ulſciſcendi, faciat, gravisſimè peccare in Deum, Magiſtratum, proximum & ſeipſum. De provocato autem nonnulli ἐπέχουσι, quia, ſi Duellum non acceptaret, haberetur pro homine ignavo, meticuloſo, cervino, ad ſoricis ſtridorem expaveſcente, ita, ut deinceps inter homines ſuæ ſortis comparere non poſſet. Nos impræſentiarum hanc quæſtionem negativè concludimus, & utrumque, tàm Provocantem, quàm Provocatum gravisſimè peccare aſſerimus. *Ratio 1.* quia, uti vidimus, vindicta privata in verbo Dei damnatur. Hinc *l. 14. C. de Judæis* dicitur: *idcircò Judiciorum vigorem, jurisq́; publici tutelam videri in medio conſtitutam, ne quisquam ſibi ipſi permittere valeat ultionem.* Adeundus ergò eſt Magiſtratus, qui, ſuâ auctoritate & jurisdictione, omnia componet, honorem ſi quis ablatus reſtituet, neque ad arma & rixas partes litigantes procedere patietur, *l. ſi cujus rei, §. æquiſſimū, ff. de*

ff. de Uſufructu, & quemadmodum quis. Ideò enim quoq; datus eſt Magiſtratus, ut Reſpublica, hominumq; vita, ſit quieta & tranquilla. Nunquam autem, vel raro, quieta & tranquilla eſſet, ſi ob quamlibet, etiam leviſſimam, injuriam licitum eſſet ad ſingulare certamen provocare. *Ratio 2.* quia hujusmodi honoris defenſio eſt honoris divini, cujus præcepta violantur, oppugnatio. *Ratio 3.* quia, dùm hi homines volunt honorem ſuum coram hoc mundo ſervare, honoris ſui jacturam faciunt apud Deum, & æquos rerum æſtimatores.

QV. III.

An Duellum voluptatis noſtræ vel alienæ causâ licitum ſit?

Priusquàm hæc decidatur quæſtio, operæ pretium erit, quædam prælibare de Duelli hujus Origine, progreſſu & tandē abrogatione. Initium iis datum videtur privatim apud Romanos in Saturnalibus, ut Saturnus, cui ea Feſta ſacra erant, ſangvine humano propitius placatusque redderetur. Paulatim poſteà uſus invaluit, etiam in lautioribus conviviis, duo aut tria Gladiatorum paria, ab Athenæo μονομάχων ζεύγη appellata, in Triclinio exhibendi ad pugnam. Publicè verò Romæ manus conſeruere Gladiatores, in funeribus illuſtrium virorum, ac Ducum, ut & fœminarum, quibus anteà, Græcorum more, captivos immolare ſolebant, illorum animas ſanguine humano propitiaturi. Quam impietatem poſtmodùm voluptate aliquâ adumbraturi, Gladiatorios ludos ante extincti Principis rogum celebrādos curavere, ut, tàm cruento ſimul & ludicro ſpectaculo, ſuperſtitis populi mœſtitiam lenirent, defunctiq; Principis animam propitiarent. Et cùm ſucceſſu temporis gladiatoria hæc ſpectacula populo placerent, placuit & Principibus, ea permittere, tantâ gladiatorum frequentiâ, ut ſub Trojano Principe, 120. dierum ſpatio decem millia Gladiatorum perierint. A Romanis hic mos ad alias tranſiit Regiones. Perſeus Macedonum Rex, primus *in Græcia* hujusmodi ſpectacula edidit, quæ quidem, monente *Livio lib. 41.* primâ vice terrorem potiùs incuſſerunt, quàm voluptatem crearunt, poſteà autem crebro uſu grata & familiaria ſpectantium oculis fuere. Apud Judæos Herodes Rex in

 ſingu-

Digitized by Google

ſingulis penè oppidis Romanorum theatra & amphitheatra inſtituit: quinimò Agrippa ipſos quodammodò Romanos ſuperavit, dum, teſte *Joſepho lib. 17. cap. 7. p. 542.* unâ vice ſeptuaginta Gladiatorum paria dedit. Sicco pede prætereo alias regiones, in quibus quoq; diabolica hæc conſvetudo radices egit, & quidē tantas ut vix iterùm potuerint erui atq; evelli. C. Cæſar licet anteà probaſſet, tandem tamen, pertæſus effuſionis ſangvinis humani, fieri eam prohibuit. Et quoniam funebrium ludorum vel ſpectaculorum, in quibus, ad ultimum usq; vitæ halitum decertabant, exhibitione redactos legimus primùm quam plurimos ad paupertatem extremam, nimiâ ſuâ profuſione, ſub Tiberio Senatusconſultum eſt factum, ut nemini id liceret, qui minus quadringentis millibus in cenſu haberet. Similiter Conſtantinus M. uti videre eſt apud Nicephorum *lib. 7. hiſt. Eccl c. 46.* ut & *l. unic. C. de Gladiat.* omninò gladiatores eſſe prohibuit, quo interdicto, cùm nec omninò morem illum duellandi tollere potuiſſet, ſubſequentibus ſeculis Theodoricus, Gothorum Rex, adeò exoſos habuit gladiatores, ut, quantumvis optarent Romani, ludos tamen illos non ſolùm denegaverit, ſed & prorſus ſuſtulerit, uti videre eſt apud *Joh. Fungerum in etymol. Trilingv. in voce Gladius, p. 335.*

Hanc igitur Duelli ſpeciem illicitam eſſe ex dictis abundè ſatis colligere licet. Vidimus enim, eam originem ſuam ducere ab Ethnicis, qui, inſtinctu diaboli, hanc duellandi conſvetudinem introduxere. Vidimus finē ejus fuiſſe inutilē, non neceſſariū, impium, blaſphemum: quamplurimos Imperatores & Reges tàm Gentiles quàm Chriſtianos, eam averſatos fuiſſe, & funditùs tollere ſategiſſe, diximus: imò ipſo Jure Civili eam prohibitam eſſe annotavimus; adeò, ut non opus ſit, plures iis adjungere rationes, præſertim cùm quilibet ſanæ mentis, probè Duella hæc conſiderans, confeſtim ea ſit averſaturus, & tanquam verè diabolica abominaturus. Certè, cùm voluptas ſit unum ex infimis bonis, crudele & planè inhumanum, eſt illud ſangvine humano redimere, jacturâque vitæ vel noſtræ vel alienæ, pro cujus tamen conſervatione voluptates omnes nobis eſſent vitandæ & abjiciendæ. Qvàm miſera porrò hæc eſt voluptas, quam quis ex hujusmodi Duellis haurit! quàm fragilis ea! quàm inconſtans! imò non eſt voluptas. Nihil enim

aliud

Digitized by Google

aliud inſequitur, quàm maledictio Dei, conſcientia mala, Magiſtratus aut Talionis vindicta, probrum, exilium, & tandem æterna condemnatio.

Qv. IV.

Utrum Duellum purgativum ſit licitum?

Definitur Duellum purgativum, qvòd ſit ſingulare certamen, qvod committatur, vel ad eruendam alicujus rei veritatē, vel ad alicujus criminis purgationem inducendam. Qvæ Duelli ſpecies iniqviſſimi eſt parentis, Diaboli ſcilicet Homicidæ illius à principio, iniqviſſima ſoboles, qvæ eò pernicioſior fuit, qvò antiqvior: eò crudelior, qvò communior: eò deteſtabilior, qvò innocentiæ pallio tecta, ubiq; terrarum ſibi aditum patefecit. Priusqvàm autem de ejus impietate, vanitate & crudelitate dicamus, qvædam in anteceſſum ſunt prælibanda. 1. Refertur hoc Duellum inter purgationes vulgares, qvandoqvidem impiâ Vulgi conſvetudine olim committi ſolebat. 2. Vocatur purgativum, qvia ſuſpicionis maculæ eo erant purgandæ, cùm tamen reverà novæ potiùs contraherentur, qvàm contractæ delerentur: Telorum gladiorumq; acies, non ad ſignatos jam injuriæ characteres obliterandos, ſed, ad novos altius imprimendos, dirigerentur: aperta vulnera occulta magis panderent crimina, qvàm innocentiam teſtarentur: effuſus deniq; ultro citroq; ſangvis innocentiæ potiùs candorem fœdaret, qvàm reatus ſordes mundaret. 3. Ab aliis vocatur Judicium, aſt non eandem ob cauſam. Qvidam enim ita appellant, qvòd in hoc certamine Judicium Dei exſpectaretur. Cùm enim naturaliter ſeqvi non poſſet, ut ex Duellatoribus noxius ſuccumberet, alteri innocenti propterea qvodammodo Judicium Dei exſpectabatur, qvò innocēs declararetur. Ab aliis autem ſic nuncupatur, non, qvòd à Deo rei manifeſtatio exſpectanda eſſet, ſed, qvòd fieret ad formam Judicii contentioſi. Qvemadmodùm enim in eo ſunt Actor & Reus, Judex & Inſtrumenta, per qvæ, largo modo ſumpta, pro qvibuscunq; cauſam inſtruentibus, fit veritatis declaratio, ut feratur ſententia definitiva: ſic in Duello ſunt Actor & Reus, Provocans & Provocatus, Judex & Inſtrumenta, nimirùm Arma, qvibus ſe invicem percutiunt. Nam, ſicut in Judicio contentioſo

Digitized by Google

qvis alium convincit Teſtibus, Scripturis, Confeſſionibus, ſic in Duello qvis armis corporalibus vincit, ut, ſicut in primo qvi eſt convictus, eſt in caſu condemnationis: ſic à ſimili, convictus in hoc, ad ſimilitudinem illius judicii contentioſi, ſit & ipſe in caſu condemnationis. De hoc autem Duello nunc qværitur, An ſit licitum? Reſpondemus per negationem, hancq; noſtram ſententiam probamus. (1) Ex Jure Naturali. Id enim hoc præſcribit, ut innocens abſolvatur, & nocens puniatur. Aſt cruentum hoc Duellum ſæpè vitam ſonti addicit, inſonti autem eam eripit, uti abundè hoc teſtatur experientia, comprobant Hiſtoriæ. (2) Ex Jure Civili. Nam prohibet in genere omnia cruenta ſpectacula, *l. unic. C. de glad.* Atqvi Duella purgativa qvoq; ſunt cruenta ſpectacula. E. Deinde hæc Duella inſtituuntur aut in cauſis levioribus, & ſolùm pecuniariis, aut in gravioribus, nimirum criminalibus. Si in illis, certè Duellum non habet locum. *Ratio 1.* Qvia pœna delicto non foret proportionata. Qvamvis enim reus convictus, & veritatem profeſſus fuiſſet, in periculum tamen vitæ non incidiſſet, qvod tamen, ſi cum alio congrediatur, ſubire neceſſe habet. *Ratio 2.* Qvia Jure Civili cautum eſt, ne debitores armatâ vi terreantur, ſed, petitore non implente ſuam intentionem, vel exceptione ſubmoto, abſolvantur: victi autem condemnentur, & juris remediis ad ſolutionem urgeantur *l. negantes 9. C. de oblig. et. & act.* Ergò Actor probationibus deſtitutus, debitorem ſuũ ad Duellum provocare neqvit. *Ratio 3.* Qvia, qvod metu fit, jure civili prætorio ratum non habetur, *t. t. ff. & C. Qvòd metus causâ.* Sed, cùm qvis alium ad certamen provocat, metum illi injicit, ut ſæpe numero, timore futuræ necis, malit causâ cadere, qvàm cum Adverſario in arenam deſcendere. Si in his, putà criminalibus, multo minùs per Duella probationes ſunt admittendæ. Ratio: qvia in his *Jus Civile* reqvirit probationes luce meridianâ clariores, *l. ultima, C. de Probat.* Μονομαχία autem eſt modus probandi dubius, temerarius, fallax, & admodùm obſcurus, imò non eſt modus. Nam, fatentibus Juriſconſultis, modus veritatem probandi à pœna differt, cùm *ille* exigatur ab eo, qvi incuſat, *hæc* à Judice, qvi eam irrogat. In ejusmodi autem Duello non differt, qvia vel corpo-

ris,

Digitized by Google

ris, aut membrorum mutilatione, aut cæde illatâ, res probatur; & ſimul reus punitur. (3) Ex Jure Canonico, in qvo omnes ejusmodi purgationes vulgares damnantur, ut patet ex *c. Mennã. 2. qv. 4.* Atqvi Duella purgativa receſentur inter vulgares purgationes, ut ſupra dictum. E. Cujus prima extat Ratio: qvia his Duellis Deus tentatur, *c. Monomachiam, 2. qv. 4.* Altera, qvia ſunt inventa Diaboli, *c. Conſuluiſti 2. qv. 4.* Tertia, qvia iis ſæpè damnatur innocens, *c. ſignificant. Extr. de Purgat. vulg.* (4) Ex Scriptura Sacra probationes firmisſimæ qvoq; pro hâc adduci poſſunt ſententia. Qvarum prima: qvia Deus Exod. 20, 13. dicit: Non occides, adeoq; homicidium prohibet. Ergò etiam Duellum, per qvod perveniri ſolet ad homicidium. Ratio Rationis: qvia, cum aliqvid prohibetur qvodam jure, videtur etiam prohibitum omne id, per qvod pervenitur ad illud, *l. oratio 19. ff. de Sponſal. c. cùm qvid una, de Reg. Jur. in 6.* Ratio ſecunda eſt, qvia S. Scriptura alia media inqvirendi veritatem non permittit, qvàm qvæ fiunt vel per Teſtes, *Deut. 19, 15* aut per confesſionem partis accuſatæ, *Joſ. 7, 19*, aut per jusjurandum purgationis, *Exod. 22, 11.* vel deniq; per tabulas ſeu chirographa, ut *Jer. 32, 10.* cùm Jeremias emiſſet agrum in Jeruſalem, conſcriptæ ſunt & obſignatæ tabulæ: & cùm Raphaël à Gabele petiturus eſſet debitum, oſtendit ejus chirographum. Qvibus mediis, ſi Magiſtratus nihil expiſcari posſit, præſtat, reum abſolvere, & rem occultam Deo commendare qvàm dubio Duelli eventui committere. Ratio tertia: qvia *Deut. 6, 16. & Matth. 4, 7.* prohibetur, ne Dominum Deum noſtrum tentemus. At Duellis purgativis Deus tentatur. Qvæ enim nullis veſtigiis à nobis deprehendi poſſunt, qvorumq; cognitionem ac manifeſtationem Deus ſibi ſoli reſervavit, ea per miraculum inveſtigare velle, qvid hoc aliud eſt, qvàm Deum tentare? Qvibus & aliis rationibus Eccleſiaſtici in Anglia circa An. 1630. Carolo Regi diſſvaſerunt, ne duorum Scotorũ (qvorum unus erat Comes de Ree, alter Nobilis, vocatus Maexvveel) congreſſum permitteret, qvi tamen jam anteà Duelli licẽtiam impetraverant. Ac tantum eorum rationes apud Regem valuerunt, ut Duellatores à propoſito revocaverit. (5) Idem tandẽ probatur & hiſce Rationibus. 1. Qvia in hoc Duello eliguntur

Digitized by Google

cædes humanæ ad finem, ad qvem per ſe inutiles ſunt. 2. Qvia iniqvum eſt, utrumq; & provocantem & provocatum, eidem vitæ periculo exponi. 3. Qvia illa probatio eſt iniqva, qvâ innocens æqvè declaratur nocens, & punitur, atqve nocens liberatur, *Jer.22,3.* Sed hoc freqventer accidit in Duello purgativo, ut innocens pereat, adeoq; coram Judice pro nocente habeatur, & nocens, qvi cauſam iniqvam propugnabat, ſuperior evadat, & innocens declaretur. 4. Qvia ſi hoc liceret, fruſtrà Magiſtratus gladium gereret, fruſtrà à Deo conſtitutus eſſet, ſi qvilibet in ſua cauſa Judex eſſet, & Duellum, ad detegendam veritatem, inire poſſet; qvin & arti gladiatoriæ potiùs, qvâ lites noſtras terminare poſſemus, qvàm Jurisprudentiæ, opera danda eſſet.

Qv. V. An Duellum ad ſolam virium oſtentationem ſit licitum?

Duellum hoc, ſi originem ſpectes, viliſsimum eſt, atque colluctantes inter ruſticos ortum; poſtmodùm inter Trojanos milites adolevit, & Romæ inter gladiatoria viguit. Hâc verò noſtrâ ætate, quâ ejusmodi vitia conſenuere, ipſum quoque conſenuit, adeò, ut vel nunquam vel rarò iniri ſoleat ad ſolam virium oſtentationē. Si Exitum reſpicias, quid aliud inſequitur, quàm vulnera & cædes?

Luctus ubique ingens, & plurima mortis imago.

Illicitum autem id eſſe, communis Theologorum ac JCtorum opinio eſt, & ex ſequentibus rationibus eluceſcit. *Ratio* (1) Quia pugnat cum ſexto præcepto: *Non occides.* Homicidium enim committit, qui, non caſu aut infortunio, ſed auſu temerario, citra ullam probabilē neceſsitatem, proximum vulnerat & interficit. Hoc n. agit, qui tantùm oſtentationis gratiâ, citra cujusquā commodū, vel publicum vel privatum, citra neceſsitatem, armis nocivis Adverſarium adoritur, eumq; è medio tollere cupit, ad vanæ alicujus gloriolæ acquiſitionem. [2] Quia & finis hujus Duelli eſt inhoneſtus, & media, ad hunc finem ducentia. Finis, quia non dirigitur ad Dei gloriam, ſed ad vanam aliquam gloriam mundanam acquirendam, contra id, quod Paulus ait: *nihil ex contentione aut inani gloria eſſe faciendum. Phil.2,3.* Media, quia hic finis acquiritur per mutuas cædes & vulnera, quæ utiq; media ſunt illicita, inhoneſta, in ver-

Digitized by Google

in verbo Dei damnata, nec cohoneſtari poſſunt, vel titulo defenſionis, cùm nullum præſupponatur vitæ periculum, ad quod effugiendum, Duellica iſta pugna ſit neceſſaria; vel titulo punitionis, cùm Princeps ſontem aliquem, ab altero Duellatore plectendum, non tradiderit. [3] Quia maximè repugnat charitatis præcepto. Si enim hoſtibus noſtris oportet benefacere, eos diligere, offenſas iis remittere, quo, quæſo, prætextu, quo colore, etiam amiciſſimi inter ſe, congrediuntur, & quidem in eum finem, ut unus ex alterius nece glorio lam aliquam coram mundo aucupetur. Imò, ſi ipſi ſpectatores contra charitatem peccent, oculos ſuos ſangvine humano, vulnere & cæde proximi paſcendo, quantò magis peccant ſpectaculorum talium exhibitores. *Ratio* (4) deſumitur ex *Decret. Gregor. lib. 5. t. 13. de Torn. c. Felicis*, ubi omnia Duella oſtentationis gratiâ adhibita damnantur, quando dicitur: *Felicis memoriæ Innocentii & Eugenii, prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, deteſtabiles illas nundinas vel ferias, quas vulgò Torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto convenire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum, & audaciæ, temerè congredi, unde mortes hominum, & animarum pericula, ſæpè proveniunt, fieri prohibemus.* Non licet ergò proximum ad tale Duellum provocare, nec provocato Duellum acceptare, ſive ſit Literatus, ſive Illiteratus. Si *Literatus*, in eo non corporis ſed animi, non armorum ſed literarum vires ſunt commendandæ. Nō enim, teſte *Alciato de Duell. c. 44. n. 4.* ullus armato homini honor eſt, ſi inermem provocet: Sole peruſtus umbraticum: corporalibus laboribus aſſuetus ſedentariū. Impiam ergò hanc provocationē naſo ſuſpendat adunco, nihili faciat, ac ſequenti reſponſo Adverſario occurrat: *Ut tu me tuis armis in certamen provocas, ita ego te jure manu conſertum in arenam meam, i. e. coram Magiſtratibus voco, quo in loco armis meis, nimirùm Libris, & doctrinarum Auctoribus oſtendam, quantum artes tuæ noſtris ſint inferiores, faxoq; ut quod ſummus omnium Orator dixit:* Cedant arma togæ, concedat laurea Linguæ. *Nam quantum ad arma bellica attinet, cum his nos nihil commune habemus, qui Palladis & Muſarum ſtudia, non furioſiſſimi illius Dei Martis profitemur.* Quæ conſiderans Alexander III. Papa *Decret. Gregor. Lib. 5. t. 14. c. porrò*, ſanxit, ſi Clericus alicui

ſponte

Digitized by Google

ſponte Duellum obtulerit, vel oblatum ſuſceperit, ſive victor, ſive victus fuerit, de rigore Juris meritò deponendum eſſe. Si *Illiteratus*, itidem Duellum hoc, tanquam verbo Dei è diametro contrarium, averſetur, remis velisque fugiat, Dei potiùs quàm ſuam gloriam quærat, in ſtatione & vocatione ſuâ perſiſtat, nullâq; ratione in tale periculum ſeſe adduci ſinat; ſed cogitet, qui temerè & petulanter in pericula ſe præcipitat, in iis quoq; perire.

Q. VI. Anne Duellum ſit licitum ad majus aliquod malum evitandum?

Ut cùm Duellum ex condicto, inter duos Principes vel Subditos ſuſcipitur, ad vitandam maximam ſanguinis effuſionem, quæ alioquin in prælio fieri poſſet. Tale certamen fuit tum *Curiatiorum & Horatiorum*, quo bellum inter Romanos & Albanos diremptum fuit, Curiatiis, Albanorum cauſam defendentibus, ab Horatio victis: tum *Starcateri & Hamæ*, quo diuturnum inter Danos & Saxones bellum fuit finitum, victoriâ penes Starcaterum manente. Senſus igitur hujus quæſtionis eſt: An in bello res non posſit committi Duello, ne totus pereat Exercitus, præſertim quando ex una parte cauſa belli eſt juſtior, & copiæ infirmiores? Sunt qui hoc affirment & dicant: (1) Hâc ratione vitari maximam ſanguinis effuſionem. (2) Qvùm anteà partes fuerint inæquales, per ejusmodi Duellum reddi æquales, adeoq; non tàm magno in periculo partē, juſtam cauſam defendentem, verſari. Verum enim verò Rationes hæ mihi admodùm infirmæ videntur. *Ratio 1.* quia non ſunt faciēda mala, ut eveniant bona. *Ratio 2.* quia, ſi bellum ſit juſtum, juſtitia cauſæ non eſt committenda periculo, & in unius hominis capite ponenda; quia incertum eſt, an pars innocens in Duello ſit victoriam obtentura. Si quis probabilis ſit metus ſuccumbendi, fide eſt ſuperandus, innitendum bonitati cauſæ, faciendum quantum in viribus noſtris eſt, DEO eventus committendus, certâ cum fiduciâ, quòd per paucos æquè juſtam poſſit defendere cauſam, ac per multos, quod & ſæpiſſimè fecit, uti videre eſt *Jud. 7, v. 21. & 1. Sam. 14, v. 14.*

Q. VII.
Quid ſit ſtatuendum de Duello duorum reorum, ad ultimum ſupplicium damnatorum?

Duo

Duo in hac quæſtione involvuntur Caſus, diſtinctè explicandi & decidendi. I. Quæritur: *An duobus, per Judicis ſententiam ad mortem damnatis, liceat juxta Magiſtratus decretum, Duello congredi & ſeſe mutuo occidere?* Reſpondemus per negationem & dicimus, peccare hîc non ſolùm Magiſtratum, reos ad ejusmodi duellũ cogendo & neceſsitando; ſed & ipſosmet Reos, Duellum hoc acceptãdo & ſuſcipiendo. *Ratio 1.* Quia pœna delicto non foret proportionata. Qui enim damnatus eſt ad mortem, ad unam tantùm, non ad plures eſt damnatus. Qvùm autem cum Adverſario congreditur, quoties ejus ictus metuit, toties mortem ſibi inferri credet. Et quia primo ſtatim ictu non ſuccumbet, inſequetur ſecundus, tertius, quartus, &c. usque dum ſuccedat lethalis, vitam ipſi adimẽs. At vulnera, mortem non inferentia, ſuperant delictum, ut immerenti hæc infligantur. Solùm igitur illud unicum meritò patitur, quod mortem accelerat, quæ, niſi paulò poſt ſubſequatur, quod intermedium tempus, in quo vulneris dolorem & cruciatum ſuſtinet, ejus pœnam aggravat, ut graviorem, quàm meritus, luat. *Ratio 2.* Quia reus, ad mortem damnatus, tantùm tenetur ad pœnam, propter delictum irrogatam, perferendam, ut Juſtitiæ vindicativæ ſatisfiat, non verò ad alium, à quo nulla unquam injuriâ fuit affectus, affligendum & trucidandum.

II. Quæritur: *An licitum ſit Principi aut Magiſtratui, duobus ad mortem damnatis, mandare Duellum ineundum, ita, ut qui in eo victor fuerit, vitâ donetur & libertate.* Reſp. per negationem. Ratio (1) Quia, ſi mortis reus eſt, criminibusq; ſuis indubitatè ultimũ ſupplicium promeruit, Magiſtratui non licet, eum tantùm periculo mortis exponere, ſed ipſi morti adjudicare, eiq; non caſuali vel fortuitæ, ſed certæ & indubitatæ. Ratio [2] quia illi duo vel ſunt æquè nocentes, vel non. Si ſunt æquè nocentes, peccat certè Magiſtratus, alterum puniendo, alteri autem vitam condonando. Si non ſunt æquè nocentes, iniqvum iterum eſt, partem minùs nocentem, i. e. quæ mitiorem merita erat pœnam, eidem ejusdem mortis periculo exponere, præſertim cùm fieri poſſit, ut minùs nocens in Duello ſuccumbat & pereat. Quia autem Magiſtratus hoc præcipere & permittere nequit, ſequitur, nec Reis licere, Duellum hoc acceptare. Magiſtratui enim, iniqua præcipienti, non eſt obtemperandum. Cùm ergò ſceleribus ſuis morte meriti ſint, eam perferre tenentur, adeò, ut unus ex illis, alterius

occi-

Digitized by Google

occiſione, minimè vitam ſuam conſervare debeat.

QV. VIII. An Duellum ad litium terminationem ſit licitum?

Quale illud, quo, commisſis duobus in Duello pueris, inter *Vandalos & Alemannos*, ſuccumbente Vandalorum puero, tota lis compoſita fuit; nec non, quod narratur inter *Carolum Andegavenſem*, & *Petrum Taraconenſem*, qvo, poſt longa inter ſe geſta bella, tota, *de Inſula Siciliæ*, lis finienda fuit, qvamvis nunqvam cōgresſi fuerint, Petro tempus protrahente. Nos negativam defendimus ſententiam (1) qvia hoc medium Deus nullibi præcepit. Deficiente autem Dei verbo, deficit fides: qvicqvid verò non fit ex fide, peccatum eſt, Rom. 14, 23. Alia Deus ad lites finiendas ordinavit media, nimirùm judicium legitimum Magiſtratus, cujus eſt, lites, ad ſe delatas, cognoſcere & dijudicare. (2) Qvia medium hoc nō eſt neceſſarium, cùm alia ſint media finiendarum litium, nempe, vel amicabilis conventio, & transactio partium, vel ſententia Judicis. (3) Qvia medium qvoq; eſt dubium & fallax, cùm facillimè occumbere posſit robore & agilitate corporis minor, major autem cauſæ æqvitate; & contrà prævalere posſit nocens, ſi alterum viribus corporis ſuperaverit.

Qv. IX.

An ad veræ fidei & Religionis demonſtrationem Duellum ſit licitum?

Qvale fuit Duellum inter *Rolandum & Mahometanum Gigantem*. Cùm enim hic aliqvando cum Rolando, Caroli Magni propinqvo, poſt pugnam de Fide diſputaſſet, dixit Gigas: *Tali igitur pacto tecum iterùm pugnabo. Qvòd ſi vera eſt hæc fides, qvam aſſeris, victus ſim, & , ſi mendax, tu victus ſis.* Fiat, reſpondit Rolandus, & incepit implorare auxilium Chriſti, ac etiam Deum ſuum Gigas, dicens: *Mahumet, Mahumet, Deus meus, ſuccurre mihi.* Sed victus occubuit, Rolando ſuperſtite. Negatur autem & præſens qvæſtio, hiſce cumprimis Rationibus, qvarum Ima: Qvia hoc medium eſt fallax, cùm, uti jam ſæpè dictum, innocens ſæpisſimè in ejusmodi Duellis ſuccumbat. Impium verò ac iniqvum eſt, Religionem & fidem Chriſtianam ex fallaci & fallibili medio ſuſpendi. II. Qvia non temerè miraculum à Deo eſt exſpectandum, in caſu, qvem ordinario modo, non extra ordinem, decidi voluit. Dedit nobis Deus S. Scripturam, Moſen, Prophetas, Evangelia, ſcripta Apoſtolorum, è qvi-

è qvibus convincendi & ſuperandi ſunt Adverſarii, non cruentis e-jusmodi Duellis. Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed divinitùs valida, & ad ſubverſionem munitionum, ait Paulus 2. *Cor. 10, v. 4.* His armis Chriſtus Diabolum ter pudefecit & proſtravit, *Matth. 4. v. 4. ſeqq.* Chriſti exemplo & veſtigiis nos inſiſtentes iisdem armis Adverſarios noſtros ſuperare oportet, non gladio, aliisq; armis corporalibus. Hîc enim locum habet, qvod CHRISTUS dicit *Matth. 26. v. 52. Qvicunq; acceperint gladium, gladio peribunt.* III. Qvia ad veræ Religionis demonſtrationem oportet media adhibere licita, in Sacra Scriptura permiſſa. At talia non ſunt Duella, uti jam ſæpius vidimus.

Qv. X.

An ad defenſionem bonorum temporalium duellum ſit licitum?

Ut ſi lis, inter duos de bonis qvibusdam orta, ex conſenſu mutuo Duello derimatur, in qvo, qvæ pars ſuccumberet, etiam in illis bonis causâ caderet. Aut, ſi qvis hâc ratione oblata conaretur repetere, provocando videlicet detentorem, ſi ea reddere nollet. Reſpondemus negativè. *Ratio* 1. qvia vita noſtra, vel aliena, non debet cum aliis bonis temporalibus commutari. Iniqvus certè is cenſendus, qvi divitias interituras, & iniqvum Mammona, præfert vitæ, ſaluti, & amori hominis Chriſtiani, licèt in aliqvo actu imperfectionis, à Chriſtiana perfectione deviantis: Nam, ut loqvitur Glorioſisſimus noſter Imperator, *l. Sancimus, C. de S. S. Eccl.* non abſurdum eſt, animas hominum qvibuscunq; vaſis vel veſtimẽtis præferri. Vita ſemel amiſſa, recuperari neqvit. At bona temporalia iterùm acqviri poſſunt. Hinc CHRISTUS *Matth. 5, v. 40. & Luc. 6. v. 29.* jubet, ut Homini petenti & auferenti pallium, etiam tunicam concedamus: adeò, ut citiùs res qvævis deſerendæ ſint, qvàm, ut noſmet, vel Adverſarium, periculo vitæ exponamus. *Ratio 2.* Qvia Deus aliud remedium inſtituit, qvo qvis poteſt bona ſua ablata iterum recuperare, videlicet Judices, qvos adire, de damno nobis allato conqveri, eorumq; auxilium implorare debemus. Sed qvid, inqvies, ſi Judex compellari neqveat, & periculum ſit in mora, ut aut Duellum mihi ſit acceptandum, aut bona amittenda? Reſp. Citiùs bona ſunt amittenda, qvæ aliunde iterùm recuperari poſſunt, qvàm vita, omni argento & auro præſtantior, amittenda. Ut enim tempore neceſſitatis, naufragium facientes ſua bona in mare projiciunt, ad vitam ſuam conſervandam, ita & nobis citiùs facultates noſtræ ſunt amittendæ, qvàm vita, vel noſtra, vel aliena, certisſimo periculo exponenda.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO.

QVæ cùm ità ſe habeant, concludimus cum ſanioribus Theologis & Philoſophis ac rotundo ore dicimus: Nulla Duella eſſe licita, ſed omnia impia, illicita, iniqva, omniq; jure prohibita, adeoq; non Deū, ſed Diabolū habere Patrē. Laudabiliter igitur Sereniſſimus ac Potentiſſ. Elector Saxoniæ, JOHANNES GEORGIUS II. Dominus ac Nutritius hujus Academiæ benigniſſimus, feciſſe exiſtimandus, qvod nō ita pridē publicè de prohibitione juris duellici edixerit, violatoresq; hujꝰ ſanctiſſimæ legis pœnâ capitali affici juſſerit. Rectè qvoq; alii pii Magiſtratus ſubinde recrudeſcentem duellatorum libidinem iteratis Edictis refrænarunt. CAROLUS V. Imperator in Ducatu Mediolanenſi, Anno 1542. conſtitutione promulgatâ ſanctè ſancivit, ut provocanti ad ſingulare certamen caput obtruncaretur, & bona ejusdem confiſcarentur, nec ullum haberetur inter provocantē & provocatum diſcrimeq. In Galliâ, ex Edicto Magni Galliarum Regis, HENRICI IV. Anno 1609. promulgato, ſuſpendium præſentibus duellantibus conſtitutum fuit; fugitivorum v. imago patibulo, cum perpetua generis & nominis infamia in publico Civitatis loco eſt affixa, prout iſtiusmodi imagines Lutetiæ Pariſiorum vidiſſe memini. Hodiè etiam ſæpius inſtaurata ac exaſperata ſunt Edictorum formulæ in monomachias, nec tamen protinus tolluntur. Nam & ante paucos annos, cùm in Galliis ageremus, Nobilis qvidam Germanus, ut ſimiles caſus jam taceamus, cum Barone Gallico in ſingulari certamine congreſſus, eum interfecit. Qvem poſteà, ne in infami ligno animam exhalaret infelix patibuli candidatus, Nobiles nonnulli Galli, honorarii ephebi veſtitu diſſimulatum, clàm ex Pariſienſium urbe deduxerunt, liberâ poteſtate ipſi facta cum fœmina ſua ponè ſecutura (nupſerat enim in Gallia) patrium natale ſolum repetendi. Scilicet de inveterato hoc abuſu militat illud;

Tard medicine eſt appreſtée
A maladie enracinée.

Inveteratus morbus Medicorum operam eludit, ac, noli me tangere, inqvit.

TANTUM.

Auctores

Theologi: *Balduinus Caſ. Conſc. l. 4. p. 88. B. Meiſner tr. de Legib. l. 4. ſ. 1. q. 21. Jac. Martini l. 3. Pol. c. 23. P. Martyr. Locc. Theol. T. 1. cl. 4. lib. 1 2. Ameſius Caſ. Conſc. p. 329. edit. Amſter. Toletus Caſ. Conſc. lib. 5. cap. 6. p. 471.*

Jurisconſulti: *Andr. Alciat. de ſing. certam. c. 1. & 16. P. Gr. Tholoſan. Syntag. jur. univ. l. 48. c. 16. n. 7. & 23. VVeſenbec. de Feud. c. 17. n. 13. Bronchorſt. miſcell. contr. aſſ. 77. D. VVern. Theod. Martini diſp. de uſu & abuſu monomach. Frid. Schenck L. B. à Tautenberg. l. 3. Feud. n. 85. ſeq. El. Reuſner. in Stratag. l. 3. c. 6. Limnæus l. 7. de J. P. c. 24. n. 4.* Politici: *Arniſ. l. 2. pol. c. 5. Schönborn. l. 2. Pol. c. 23. Bodin. de Rep. l. 4. c. 7. Liebenthal. Coll. Pol. diſp. 14. q. 1. 2. & 3.* Hiſtorici: *Simon Goulart ès hiſtoires admirables de noſtre temps. p. 710. Barclaj. in Icon. anim. c. 3. Lanſius in Conſult. contra Gall. p. 427. Thuanus lib. 3. hiſt. part. 1. & in Contin. p. 45. & 478. Camerarius cent. 2. oper. ſucc. c. 19. & 20. Aliiq; à nobis citati in dec. illuſtr. aſſert. polit. aſſ. 9. p. 52. 53. & ſeqq.*

Δ. T. Θ.

Digitized by Google